



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Specvlvm Iuuentvtis, Sive Insigniores Pveritiæ Atqve Adolescentiæ Sanctorvm**

**Bosendorf, Hermann**

**Monasterii VWestphalorvm, 1615**

Tres pueri martyres 13. Iul.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42900**

ad cælos migravit. Reliqui tres capitali sententia damnati vnà cum matre intrepidè ceruices gladio subdiderunt; pia interim genitrice sua pignora ad tam præclarum certamen hortante & confirmante. Quæ demum & ipsa de filiorum iam salute secura, plena gaudio & exultatione in certamen prodijt; & gloriosum triumphum simili exitu feliciter compleuit.

*EXEMPLA SS. PVERORVM MARTYRUM in persecutione VVandalica pro Christi fide viriliter certantium, habentur apud Surium in vita S. Eugenij Episcopi Carthaginensis 13. Iulij*

*Tom. 4.*

**H**VNERICO VVandalorum rege persecutionem seuiſſimam in Christianos, suafu Arrianę factionis, moliente, Episcopi, Presbyteri, Diaconi, & alia Ecclesię membra ad quatuor millia nongentos & sexaginta sex, ad exilium eremi compellebantur. Inter quos & infantuli fuere quam plurimi, quos genitrices materno sequebantur affectu, alię gaudentes, quod martyres genuissent, alię retrahentes, vt morituros diluio rebaptizationis à fidei confessione reuocarent. Nullum tamen tunc nec blandimenta vicerunt, nec carnalis pietas aliquem inclinavit ad terram. Dum vero hic Dei exercitus cœpto itinere pergeret, videre anum tenentem manu infantulum eumq; his sermonibus consolantem; Curre domine mi;  
vides

*Paruuli se  
exulibus  
comites  
adiungunt*

vides vniuersos sanctos, quomodo pergunt, & festinant hilares ad coronas? Cumq; eam increparent, quod importunè virorum se societati ingereret: Benedicite, inquit illa, & orate pro me ac paruulo hoc meo nepote, quocum ad exilium pergere destinaui, ne inueniat eum solum inimicus, & à via veritatis reuocet ad mortem. Cumq; postmodum per vniuersas Africanæ terræ prouincias tortores crudelissimi mitterentur, nobilis quædam matrona cognomento Dionysia cum flagris toto corpore crudeliter cæsa fuisset, filiumq; suum Maioricum admodum teneræ ætatis atq; delicatum timore pœnarum formidolosum cõspiceret, verberans eum nutibus oculorum, & increpans auctoritate materna, ita confortauit, vt matre multo fortior redderetur. Cui inter crudelia verbera constituto ita dicebat: Memento fili mi, quia in nomine Trinitatis in matre Catholica baptizati sumus: non perdamus indumentum nostræ salutis, ne veniens inuitator vestem non inueniat nuptialem, dicatq; ministris: Mittite in tenebras exteriores, vbi erit fletus & stridor dentium. Illa pœna timenda est quæ nunquam finitur. Illa desideranda vita quæ semper habetur. Talibus igitur filium solidans verbis, velociter martyrem fecit: qui in certamine cõfessionis immotam seruans constantiam, gloriosa morte victor occubuit. Nobilis item illa fuit duodecim puerulorum cõstantia, qui cum in exilium

*Constantia  
S. Maioricæ  
pueri.*

lium vnà cum clericis Carthaginensibus per-  
 rexissent, suasu Teucharij perditu apostata,  
 qui eos quondã discipulos habuerat, tanquam  
 cãtores apti modulis de itinere reuocati sunt.  
 Segregantur paruuli corpore non spiritu à  
 grege sanctorum. Qui timentes præcipiti-  
 um, cum suspirijs lachrymarum, ne diuelle-  
 rentur constringebant manibus genua socio-  
 rum. Quos violentia tamen hæretica minaci-  
 bus separans gladijs, Carthaginem reuocauit.  
 Verum & hi annis suis superiores inuenti  
 sunt, & ne obdormirent in morte, lucernam  
 sibi Euangelici luminis accenderunt. Indig-  
 nantur ob hoc grauiter Arriani, & se supera-  
 tos à pueris erubescunt. Vnde ira accensi, sub-  
 di fustibus iubent, quos paucis ante diebus va-  
 rijs verberibus dissipauerant. Imprimun-  
 tur vulneribus vulnera, & rursus pœna re-  
 staurata crudescit. Domino igitur confortan-  
 te factum est, vt nec ætas minor dolori suc-  
 cumberet, nec fides constantiaque nutaret.  
 Quos tunc Carthago miro coluit affectu, &  
 quasi duodecim Apostolorum, chorum con-  
 spexit puerorum. Vnà degebant, simul velle-  
 bantur, pariter psallebant, simul  
 in Domino gloria-  
 buntur.

*Constantia*  
*12. puero-*  
*rum.*